



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Contritio peccatorum quæ præsupponat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

*Contritio peccatorum quæ præsupponat.*

**C**ontritionis quinque sunt consideranda: scilicet differentia ab attritione, materia, modis, necessitas, & tempus. Contritio tria exigit, displicentiam de commissis peccatis supra omne odibile, propositum vitandi peccata supra omne vitabile, & propositum confitendi seu satisfaciendi. Hoc tertium requiritur, si homo non est confessus: duo autem prima simpliciter & absolute exiguntur. Ita quod hinc habes differentiam ab attritione. Nam si alicui displicet peccatum quod fecit, sed non supra omne displicibile, non est contritio, sed attritio. Et similiter si intendit vitare peccatum, sed non supra omne vitabile, non est contritio, sed attritio. Et scito quod huiusmodi vera contritio dupliciter inueniri potest, scilicet formata, vel informis, hoc est cum gratia & charitate Iesu Christi, & sine illa homo quidem potest esse certus se habere contritionem veram, dubitando an sit formata vel informis: quoniam potest esse certus de affectu suæ voluntatis, quod plus displicet sibi offendisse Deum mortaliter quam quodcunque aliud malum: & similiter quod plus intendit vitare mortalem offensam Dei, quam quodcunque aliud: non tamen est certus propter hoc se esse in charitate & gratia Dei. Vnde debet quilibet esse certus de contritione humana, hoc est quantum ex nobis pendet, non autem de contritione formata diuina gratia. Hæc de primo.

Materia verò contritionis (hoc est de quo debet homo conteri) constat principaliter esse peccatum mortale, & secundariò veniale. Et quia impium est dimidiam à Deo sperare veniam, oportet cõteri non de vno peccato sic, & de alio non: sed de omni peccato mortali proprio.

Modus autem contritionis sufficiens ad salutem  
est,



est; ut homo qui multa habet mortalia, in generali detestetur omnem suam mortalem in Deum offensam cum animo vitandi de cætero, ut dictum est, hoc, ut dissimulatio hæc odio habet commissa supra omne odibile, & propositum vitandi intendat supra omne vitabile. Sic namque contritio generalis, est contritio virtualiter attingens omnia & singula commissa etiam oblita. Nec exigitur ad salutem habere singulas contritiones iuxta singula peccata, nec secundum numerum, nec secundum species peccatorum, testante hoc domino dicente de Magdalena, Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum, & non dixit, quoniam dilexit multoties.

Necessaria autem est contritio peccatori ad salutem, quoniam sine poenitentia peccatum non remittitur: poenitentia autem principaliter consistit in contritione, quæ necessaria fuit ante legem, sub lege, & tempore gratiæ.

Tempus autem quo tenetur post commissum mortale quis conteri, quantum ad surgendum à morte peccati, & vitandum periculum repentinæ mortis ac damnationis determinatum est ad statim, quia nec per momentum tutum est, licitumque stare in statu offensæ & iræ Dei. Quantum autem ad vitandum nouum peccatum transgressionis præcepti de contritione, tempus est determinatum ad articulum necessitatis: sicut in aliis affirmatiuis præceptis contingit. Duplex autem necessitas ex se cogit ad contritionem. Prima est periculum mortis: quia tenetur homo in hac vita conteri. Secunda est susceptio vel administratio sacramenti, & vniuersaliter, exercitatio cuiuscunque actus exigentis necessariò hominem sine peccato mortali: quia nisi conteratur tunc homo, mortale peccatum incurreret. Tertia verò necessitas, scilicet ex præcepto Ecclesiæ semel in anno, scilicet tem-



pore confessionis, non tunc affirmatur: quia si attri-  
 tus (ut prædictum est) suscipit sacramentum pœni-  
 tentiæ & Eucharistiæ, satisfacit præcepto Ecclesiæ.  
 Ex hoc autem quod peccata memoriæ occurrunt,  
 sicut non tenetur ad tunc confitendum, ita nec ad  
 tunc conterendum. Vtrumque enim est præceptum  
 affirmatiuum, obligans tempore necessitatis, quod  
 non constituit memoria. Sed tenetur semper ad non  
 approbandum, ad nō complacendum: quia ista sunt  
 præcepta negatiua, quæ obligant semper & ad sem-  
 per. Dies quoque festos sanctificare noua contritio-  
 ne peccatorum, sanctum consilium ac omni obser-  
 natione dignum est, non tamen præceptum: quia nec  
 ex parte contritionis præceptum de contritione de-  
 terminatur ad diem festum, nec ex parte diei festi  
 præceptum de sanctificatione festorum, determinat  
 sibi contritionem peccatorum.

*Contumax potest excommunicari.*

**C**ontumacia, pro quanto contra obedientiam iu-  
 dici debitam tendit, peccatum est mortale. In  
 cuius signum potest contumax excommunicari.

*Contumelia quando sit peccatum mortale.*

**C**ontumelia (qua quis malum culpæ iniuriosè in  
 proximum coram profert: puta, Tu es fur) pecca-  
 tum mortale est formaliter sumpta: quia quantum  
 in se est, lædit proximum in bono honoris. Dixi for-  
 maliter, hoc est ex intentione dehonorandi, quia ma-  
 terialiter (hoc est non ex intentione dehonorandi)  
 possunt verba contumeliosa absque vilo peccato di-  
 ci: reprehensionis gratia, vel cum peccato veniali ex  
 leuitate. Memento quoque hic & vbiq; quod hu-  
 iusmodi peccata mortalia ex suo genere sunt venia-  
 lia propter imperfectionem actus, vel quia primi mo-  
 tus: vel quia contumelia minima, vel quia materialiter